M P V I

1631

Ny
3027

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-588087-p0001-4

I. Epithalamia mihi M. Fera conscripta.
II. Elegiæ duæ mihi et Collegis meis in Senatu conscriptæ.
III. Nuptiis Johannis Grubii et Charitatis Kisewetterianæ conscripta Carmina
IV. Nuptiis Petri Matthæi Wesenbecii et Saræ Osterodiæ.
V. Nuptiis Valerii Rudigeri et Dorotheæ Mariæ ab Enden.
VI. Nuptiis Johannis Hameli et Magdalenæ Hulderianæ.
VII. Gratulatio Johanni Fabricio Consuli et Collegis.
IIX. Nuptiis Andreæ Wolteri.
IX. Leichpredig H. M. Casparo Ulrich gehalten
X. Nuptiis Dn. Rudolphi Principis Anhaltini et Comitissæ in Oldenburg
XI. Nuptiis M. Caroli Saxii.
XII. Leichpredig H. Wolfgango Amlingo JUD. gehalten
XIII. Nuptiis Friderici Hamelii.
XIV. Nuptiis Matthæi Wolfii.
XV. In Obitum Dorotheæ Hagnei Dn. Wendelini filiæ.
XVI. Propemptica Dn. Martino Fusselio scripta.
XVII. Nuptiis Dn. Johannis Ernesti Bidermanni.
XIIX. Leichpredig [illegible] Christoph Meyritzer gehalten
XIX. Propemptica Dn. Johanni Sturmio scripta.
XX. In Honorem Magisterii Friderici Stresonis et Ernesti Wulstorpii.
XXI. Leichpredig H. M. Johanni Brendelio gehalten
XXII. Nuptiis Dni Friderici Grubij.
XXIII. Leichpredig H. Ernesto von Lotzhan gehalten
XXIV. Gratulatio ad Dn. Rudolphum Principem Anhaltinum de filio [illegible] nato Johanne.
XXV. Nuptiis Johannis Mutii.
XXVI. Leichpredig [illegible] Elisabeth [illegible] gehalten
XXVII. Ad Dn. Augustum Homagii accipiendi causa Servestum ingressum.
XXIIX. Nuptiis Ottonis von Horn.

Ec. 7

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-588087-p0002-0

124

GRATULATIO

Dn. IOHANNI

Principi Anhaltino

Illuſtriſsimi & Celſiſsimi Principis ac Domini

Dn. RUDOLPHI

PRINCIPIS ANHALTINI,

COMITIS ASCANIAE, DOMINI

Serveſtæ ac Bernburgi, &c.

FILIO

Die XXIV. Martii ANNO cIɔ Iɔc XXI.

Serveſtæ nato

Scripta à

M. PETRO JENA

Scholæ Serveſtanæ Rectore.

HActenus inſueto Tellus eſt preſſa rigore,
Horrendo ſteterunt Flumina clauſa gelu:
Cum Nicro Rhenus Mœnus Moſa Sala Viſurgis
Concretus glacie cum Viadro Iſter *erat:*
Diſiecit validos glacies magno impete pontes
Inſanâ incumbens mole premensq; nimis.
At nunc ridenti redeunt bona Veris Olympo
Tempora; nunc pereunt Sole tepente nives.
Nunc glacie gaudent reſolutâ, & frigore terris
Sublato in proprios ſtagna redire ſinus:
Nunc, velut ante, ſua pater Albis *flumina ripâ*
Concluſus leni murmure lenis agit:
Unda ſilet, Tellusq; viret, nunc Aëris aura
Blandior, & venti vim poſuere ſuam:
Sol radiis præter ſolitum fulgentibus orbi
Illuſtri blandos fundit ab axe dies:
Dulcia nunc volucres meditantur carmina, vires
Accipiunt Æther Unda Solumq; *novas.*
Tu quoq;, quæ Sorabûm *fueras quondam hoſpita tellus,*
Grata ſerenanti gaudia fronte cape!
Gaudia ſepoſitis nova concipe pectore curis,
Dulcia gratanti jubila funde ſono!
Namq; tibi tandem datur, ô Serveſta, faventi
Numine, *votiva quod prece ſæpe petis.*
Nempe datur tandem munus, quod mente benignum
Sollicitâ expoſcis per tria luſtra DEUM.
Scilicet in lucem nova proles, Maſcula proles
Naſcitur incolumi Matre, *& ovante* Patre.
Naſcitur Aſcaniæ generoſo ſanguine ſtirpis
RUDOLPHO illuſtris Principe Patre *Puer.*
Non ita, qui tacita carpit ſub nocte viator
Solus iter tritæ neſcius ipſe viæ
Exultat, ſi fortè viæ quis jungat amicum
Se comitem, erranti præferat atq; facem;
Non ita poſt rabiem Pelagiq; Notiq; furentem
Tyndaridis viſis Navita lætus ovat:
Omnis ut exultantem intus teſtantia mentem
Signa dat, hac plaudens Civis ovatq; die.
Et meritò. Quis enim non pectore gaudia promat
Lætitiam Patriæ *concipiente* Patre?
Quis non gratanti depromat gaudia mente,
Concipiunt motus omnia quando novos?
Quis non gratanti depromat gaudia mente,
Concipiunt vires omnia quando novas?
Omine ſic fauſto quaſi conjurâſſe videntur
Nunc in Natales *omnia ſponte* novos.
Quod ſi igitur, Lyrico aſſeruit quod carmine quondam
Præclarè Lyrici Tëia Muſa ſenis,
Fortibus atq; bonis forteſq; boniq; creantur,
Mentis & in prole eſt vis generoſa Patrum;
Si Patrum in validos virtus animoſa Juvencos,
Inq; ipſos virtus vivida tranſit Equos;
Si non imbelles legitur timidasq; Columbas
Progenerâſſe unquam præpes adunca Jovis:
Quis natum dubitet Patriæ, qui aliquãdo decoras
Matris *virtutes exprimat atq;* Patris?
RUDOLPHI Patris *virtutes exprimat, omnis*
Quas cum vicinis ſubdita turba ſtupet.
Quem Patriæ Patrem *Pueriq; Seneſq; ſalutant,*
Quem Patriæ Patrem *Vir Mulierq; vocant.*
Quem Patriæ Patrem *agnoſcit cum Plebe Senatus,*
Quo viret Aſcaniæ Principe Ruta plagæ.
Quo Duce *tranquilla à Zephyriq; Notiq; furore*
A vi nimborum libera Ruta *viret.*
Quare has mente preces devotâ fundite Cives
Pro Nati *optatâ proq; ſalute* Patris:
Vive RODOLPHE *diu*, Princeps mitiſſime, *nobis*
Anchora præſidium vive RODOLPHE *diu.*
Tuq; age vive Puer, vis Maſcula Patris, *avitæ*
Æmule Virtutis, *creſce age creſce* Puer.
Creſce Tuis *& creſce* DEO: *fac firma* Parentes
Ex Te percipiant gaudia, firma Tui.
Hæc voveo. Rata, quæ voveo, ſint vota, puſilli
Qui gregis es cuſtos, Optime Chriſte, *jube.*

Serveſtæ excudebat Zacharias Dörfferus ANNO MDC XXI.

124

UNIV.- UND LANDESBIBLIOTHEK HALLE (SAALE)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-588087-p0005-7

UNIV.- UND LANDESBIBLIOTHEK HALLE (GYMN.)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-588087-p0006-2

Nr 3027.

8°

ULB Halle 3
002 804 379

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-588087-p0007-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-588087-p0008-3

GRATULATIO
DN. IOHANNI
Principi Anhaltino
Illuſtriſsimi & Celſiſsimi Principis ac Domini
DN. RUDOLPHI
PRINCIPIS ANHALTINI,
COMITIS ASCANIAE, DOMINI
Serveſtæ ac Bernburgi, &c.
FILIO
Die XXIV. Martii ANNO cIↃ IↃc XXI.
Serveſtæ nato
Scripta à
M. PETRO JENA
Scholæ Serveſtanæ Rectore.

HActenus inſueto Tellus eſt preſſa rigore,
Horrendo ſteterunt Flumina clauſa ge-
lu:
Cum Nicro Rhenus Mœnus Moſa Sala Viſur-
Concretus glacie cum Viadro Iſter *erat:* (gis
Diſiecit validos glacies magno impete pontes
Inſanâ incumbens mole premensq; nimis.
At nunc ridenti redeunt bona Veris Olympo
Tempora; nunc pereunt Sole tepente nives.
Nunc glacie gaudent reſolutâ, & frigore terris
Sublato in proprios ſtagna redire ſinus:
Nunc, velut ante, ſua pater Albis *flumina ripâ*
Concluſus leni murmure lenis agit:
Unda ſilet, Tellusq; viret, nunc Aëris aura
Blandior, & venti vim poſuere ſuam:
Sol radiis præter ſolitum fulgentibus orbi
Illuſtri blandos fundit ab axe dies:
Dulcia nunc volucres meditantur carmina, vires
Accipiunt Æther Unda Solumq; *novas.*
Tu quoq;, quæ Sorabûm *fueras quondam hoſpita*
tellus,
Grata ſerenanti gaudia fronte cape!
Gaudia ſepoſitis nova concipe pectore curis,
Dulcia gratanti jubila funde ſono!
Namq; tibi tandem datur, ô Serveſta, faventi
Numine, *votiva quod prece ſæpe petis.*
Nempe datur tandem munus, quod mente beni-
Sollicitâ expoſcis per tria luſtra DEUM. (*gnum*
Scilicet in lucem nova proles, Maſcula proles
Naſcitur incolumi Matre, *& ovante* Patre.
Naſcitur Aſcaniæ generoſo ſanguine ſtirpis
RUDOLPHO illuſtris Principe Patre *Puer.*
Non ita, qui tacita carpit ſub nocte viator
Solus iter tritæ neſcius ipſe viæ
Exultat, ſi fortè viæ quis jungat amicum
Se comitem, erranti præferat atq; facem;
Non ita poſt rabiem Pelagiq; Notiq; furentem
Tyndaridis viſis Navita lætus ovat:
Omnis ut exultantem intus teſtantia mentem
Signa dat, hac plaudens Civis ovatq; die.
Et meritò. Quis enim non pectore gaudia promat
Lætitiam Patriæ *concipiente* Patre?
Quis non gratanti depromat gaudia mente,
Concipiunt motus omnia quando novos?
Quis non gratanti depromat gaudia mente,
Concipiunt vires omnia quando novas?
Omine ſic fauſto quaſi conjurâſſe videntur
Nunc in Natales *omnia ſponte* novos.
Quod ſi igitur, Lyrico aſſeruit quod carmine quon-
Præclarè Lyrici Tëia Muſa ſenis, (*dam*
Fortibus atq; bonis forteſq; boniq; creantur,
Mentis & in prole eſt vis generoſa Patrum;
Si Patrum in validos virtus animoſa Juvencos,
Inq; ipſos virtus vivida tranſit Equos;
Si non imbelles legitur timidasq; Columbas
Progenerâſſe unquam præpes adunca Jovis:
Quis natum dubitet Patriæ, qui aliquãdo decoras
Matris *virtutes exprimat atq;* Patris?
RUDOLPHI Patris *virtutes exprimat, omnis*
Quas cum vicinis ſubdita turba ſtupet.
Quem Patriæ Patrem *Pueriq; Seneſq; ſalutant,*
Quem Patriæ Patrem *Vir Mulierq; vocant.*
Quem Patriæ Patrem *agnoſcit cum Plebe Senatus,*
Quo viret Aſcaniæ Principe Ruta plagæ.
Quo Duce *tranquilla à Zephyriq; Notiq; furore*
A vi nimborum libera Ruta *viret.*
Quare has mente preces devotâ fundite Cives
Pro Nati *optatâ proq; ſalute* Patris:
Vive RODOLPHE *diu,* Princeps mitiſſime, *nobis*
Anchora præſidium vive RODOLPHE *diu.*
Tuq; age vive Puer, vis Maſcula Patris, *avitæ*
Æmule Virtutis, *creſce age creſce* Puer.
Creſce Tuis *& creſce* DEO: *fac firma* Parentes
Ex Te percipiant gaudia, firma Tui.
Hæc voveo. Rata, quæ voveo, ſint vota, puſilli
Qui gregis es cuſtos, Optime Chriſte, *jube.*

Serveſtæ excudebat Zacharias Dörfferus ANNO MDC XXI.